

debitoris, sed solummodo in illius defectu, seu impotentia, et quidem iuridice probata.

4^o Fideiussor, qui pro debitore solvit, omnibus creditoris iuribus subrogatur, et proinde recursum in eundem debitorem habet, ut ab eo repetat, quidquid eius loco solvere coactus fuit.

5^o Obligatio fideiussoris ad ipsius heredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero mere personalis. — V. *Casus*, n. 1007.

ARTICULUS II. — DE PIGNORE.

938. — Pignus est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti. — Pignoris nomine venit etiam res oppignorata.

Regulae pignoris. — Ex parte *debitoris* pignus tradentis. Debet 1^o tradere creditori pignus idoneum; 2^o refundere creditori, impensas necessarias, quae factae fuerint ad rei conservationem; 3^o pignus non repetere, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

II. Ex parte *creditoris* pignus accipientis. Debet 1^o non uti re sibi credita, nisi de consensu debitoris; 2^o diligenter pignus custodire; secus de damno tenetur; 3^o fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad aequalitatem scilicet servandam; 4^o non vendere pignus propria auctoritate ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit. Ita de iure naturali et positivo.

Pignori accedit contractus qui *antichresis* nuncupatur. Est autem *antichresis* pignoris species, qua debitor tradit rem immobilem in usum creditoris, usquedum debitum solvatur. — S. Lig. n. 916. (1). — V. *Casus*, n. 1010.

(1) S. Alphonsus, seu potius Busembaum (nam merum huius textum de hac re S. Alphonsus profert), mox addit hanc resolutionem: *Contractus hic videtur iuxta Caietanum, Sotum, etc. (contra quosdam iuristas) esse usurarius, quia creditor ultra sortem aliquid lucratur, causa solius mutui, quae est usura.* S. Alphonsus autem in notula intra parenthesis addit (lib. 3. n. 916.): *Et certum est cum Palao apud Croix, n. 1115. Attamen (ibid.) rata habet, quae dein subiicit Busembaum (Resol. 2.): Possunt tamen intervenire tituli iusti lucrandi fructus ex pignore sine diminutione sortis; ut si, v. gr., fructus*

ex hypotheca percepti non superent quantitatem pensionis, quae iure census super eandem constituti exigi potest cum pacto redhibitionis, ut supra dictum est de censibus: aut si alioquin lucrum esset, aut damnum emergat, dum debitum differtur. Unde non facile damnandi illi, qui a Principibus in locum debitorum agros, pascua, officia, etc. in antichresim habent. Vide Laym. et Binfeld. *De Usuris, Mol., etc.*, Lessium cap. 137. Quibus addi possunt et illa, quae de lucro ex pecunia credita citra iniustitiam percepto superius, ubi de mutuo, dicta sunt.

ARTICULUS III. — DE HYPOTHECA.

939. — Hypotheca est contractus, quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit.

Triplicis generis distinguitur hypotheca: nempe legalis, iudicialis, et conventionalis.

1^o Hypotheca *legalis*, quae etiam *implicita*, seu *tacita* dicitur, ea est, quae vi solius legis, et absque ulla speciali conventionione instituitur: sic uxor hypothecam habet in cunctis bonis mariti pro dote recuperanda.

2^o Hypotheca *iudicialis* illa est, quae ex iudicis decreto statuitur in gratiam eorum, qui causam obtinuerunt: si v. gr. iudex aliquem damnat ad certum damnum resarciendum, vi illius sententiae cuncta bona immobilia damnati, praesentia et futura, pro damno hoc reparando hypotheca gravantur. Requiritur autem, ut haec iudicis sententia apud hypothecarum conservatorem inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim obtinet.

3^o Hypotheca *conventionalis*, seu quam partes mutua conventionione inter se statuunt, est contractus solemnns, quo persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat in debiti determinati assecurationem et solutionem. Debet igitur fieri coram notario (*) cum certis formalitatibus sub poena nullitatis in foro saltem externo, et a persona ad contrahendum habili, seu quae liberam habeat bonorum suorum administrationem; hinc minores, interdicti, uxores non possunt aliquid in hypothecam tradere (Art. 2124. et seq.). — V. *Casus*, n. 1015.

CAPUT VII.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS

940. — Varii sunt generis: assecuratio, sponsio, sortitio, seu loteria et ludus. Dicuntur aleatorii, quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii.

ARTICULUS I. — DE ASSECURATIONE.

Assecuratio est contractus, quo unus periculus alicuius rei in se suscipit, et alter ad pretium pro suscepto huiusmodi periculo se obligat. Sic variis in urbibus existunt societates, quae assecurant, v. gr. domos contra incendium, navigia contra naufragia, etc.

941. **Quaesita.** — QUÆR. 1^o *An sit licitus assecurationis contractus?*

Resp. Affirm. Aequalitas enim servatur, concurrentibus debitis conditionibus, ut fatentur communiter Theologi, et praxis quotidiana confirmat.

(*) C. I. postulat aut actum publicum aut scripturam privatam art. 1978.

QUAER. 2^o *Quaenam sint conditiones ad assecurationem requisitae?*

Resp. Sunt sequentes: 1^o ut pretium sit periculo proportionatum; 2^o ut periculum sit verum, et utrique parti aequaliter notum; 3^o ut assecuratus servet omnes contractus conditiones; 4^o ut assecurator habeat, unde solvere possit. — S. Lig. n. 911. — V. *Casus*, n. 1012.

ARTICULUS II. — DE SPONSIONE.

Sponsio est contractus, quo plures, de veritate aut de eventu rei alicuius contententes, aliquid sibi invicem spondent, vel apud aliquem deponunt, ut sit eius, qui verum dixerit.

942. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *An contractus sponsionis sit licitus?*

Resp. Affirm., positis ponendis; nihil enim inhonesti prae se fert. — S. Lig. n. 869. *et alii communiter.*

QUAER. 2^o *Quaenam sint conditiones, ut sponsio sit licita?*

Resp. 1^o Ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; 2^o ut sit animus se obligandi et solvendi, quod spondetur; 3^o ut eventus sit utrique incertus. — V. *Casus*, n. 1017.

ARTICULUS III. — DE SORTITIONE, SEU LOTERIA.

Loteria est contractus, quo plures aliquid deponunt in commune, ut ius habeant sortiendi rem in medio exhibitam. Quidam totum, quidam partem, quidam denique nihil habent.

943. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *An loteria sit contractus licitus?*

Resp. Affirm., dummodo adsint requisitae conditiones. Ratio est, quia loteria spectari potest ut emptio rei incertae, seu ut contractus, quo pecunia emitur ius sortiendi et acquirendi id, quod per sortem acciderit. Porro licet emere rem incertam, sicut pro rei alicuius periculo pacisei.

QUAER. 2^o *Quaenam sint conditiones requisitae, ut loteria fiat contractus in se licitus?*

Resp. Sunt. 1^o ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo praemio, quod obtigerit; 2^o ut dominus loteriae in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret. Attamen maius potest esse lucrum, si in bonum opus vel utilitatem publicam instituta sit loteria. — *Ita communiter.*

ARTICULUS IV. — DE LUDO

944. — Ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur ut victori cedat pretium quod exposuerunt. — Triplex est ludus: 1^o *industrialis*, qui potissimum regitur industria ludentium, ut ludus pilae et discorum; 2^o *aleatorius*, qui praecipue pendet a casu; 3^o *mixtus*, qui

partim ab industria, partim etiam a casu pendet, ut, v, gr. ludus chartarum, saltem plerumque.

945. *Quaesita.* — *QUAER.* 1^o *An licita sit omnis species ludi recensita?*

Resp. Nullus ex tribus praefatis ludis ex se illicitus est, si serventur conditiones debitae. Ratio est, quia ludus *per se* 1^o non repugnat moribus, cum sit honesta recreatio; 2^o nec iustitiae, cum quis possit honorum suorum dominium transferre, cui et quomodo voluerit.

Olim ludi aleatorii iure canonico omnibus, praesertim Clericis, prohibebantur; sed hae leges quoad laicos et etiam quoad Clericos in desuetudinem fere abierunt.

946. — *QUAER.* 2^o *Quaenam sint conditiones requisitae, ut ludus sit licitus?*

Resp. Requiritur 1^o ut ludens liberam habeat rerum, quas exponit, administrationem; 2^o ut a ludo exulent fraus et dolus; 3^o ut utrinque moraliter aequale sit perdendi periculum; 4^o ut ludus sit honestus in se, nec lege prohibitus; 5^o ut absit coactio, qua ad ludendum quis inducatur; 6^o ut non exponatur ingens summa, adeo ut familia et creditores inde damnus pati possint.

947. *QUAER.* 3^o *An teneatur restituere victor, qui multo peritior est in ludo, ita ut certo praesciat se victorem fore?*

Resp. Affirm. multo *probabilius*; quia deest aequalitas inter ludentes requisita, et proinde iustitia laeditur. Hinc notabiliter peritior a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario remittere. — *Ita communiter contra nonnullos.*

Attamen in praxi restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur; vel etiam quando adversarius sufficienter praemonitus nihilominus pertinaciter ludere voluisset; quia tunc nulla deceptio intercessisset.

948. — *QUAER.* 4^o *An teneatur ad restituendum victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus?*

Resp. ad 1^{um} *Neg.*; quia contractus non declaratur a lege *irritus*, sed tantum *illicitus*. — S. Lig. n. 887. — Antoine, qu. 5. — Lugo, D. 31. n. 60. — Lacroix, n. 1086, *et alii communiter.*

Resp. ad 2^{um} *Controvertitur.* 1^a *SENTENTIA negat*; quia lex talem ludum prohibendo, videtur ipso facto obligationem naturalem solvendi in poenam victoris sustulisse. — Ita Lugo, D. 22. n. 300. — Salmant... c. 4. n. 62.

II^a *SENTENTIA affirmat*, quia contractus fuit iure naturali validus, et proinde victus huic stare debet, donec iudicialiter restitutionem petat.

Utraque sententia probabilis videtur. Primam tamen *probabilior* dicit S. Lig. n. 890. (*)

949. — **QUAER.** 5^o *An sit validus, si magna pecuniae summa una vice exponatur?*

Resp. Affirm., per se, probabilius, si conditiones requisitae serventur, id est praesertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant, sine detrimento familiae, creditorum, etc., quia ludentes aequè periculum subeunt scientes et volentes; ac proinde nulla est iniustitia. Sed facile deficiunt praefatae conditiones; et aliunde etiamsi talis ludus non esset contra iustitiam, saltem honestati adversatur: unde prudens Confessarius per modum satisfactionis iniungere, si opportunum videatur, posset poenitenti victori, ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. — Antoine, c. 11. qu. 5. — Bouvier. — Gousset, n. 889.

Attamen, cum haec sententia non sit certa, non videntur inquietandi in tribunali Poenitentiae illi, qui nolent solvere magnam summam, quam amisissent. — Ita recte Gousset, ibid.

950. *Conclusio.* — Licet ludus plerumque sit in se licitus, et honestae recreationi inserviat, debita moderatio in eius usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusos deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobatur quotidiana et lugenda nimis experientia! Quot enim, heu! cernuntur miserissimi iuvenes, necnon cuiuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integrae fortunae paucis diebus vel horis iacturam faciunt, familiam aerumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satagant igitur pro viribus Parochi et Confessarii, ut subditos et poenitentes ab huiusmodi ludendi furore avertant, atque solliciti sint, ne obtemperare renuentes ad Sacramenta admittant. — Sic recte concludit Gousset, n. 891. — V. *Casus*, n. 1021. et seq.

(*) In iure italico nullus ludus repro-
batur aut irritatur, sed nulla actio conce-
ditur pro exigenda solutione debiti sive
ex ludo sive ex sponsione; nisi agatur de
ludis, quibus corpora exercentur.

Qui tamen solverit, nequit ullo pacto
repetere solutum, nisi ex parte victoris
intercesserit fraus aut dolus, aut victus
fuerit minor, interdictus vel inhabilis de-
claratus, artt. 1802.-1804.

TRACTATUS DE STATIBUS PARTICULARIBUS

Agendum de statu 1^o laicorum, 2^o clericorum, 3^o regularium.

PARS PRIMA DE STATU LAICORUM

Iam in quarto Decalogi praecepto de variis et mutuis Superiorum et inferiorum officiis sermonem fecimus. In praesenti vero Tractatu de officiis, quae ad bonum publicum spectant, et imprimis de forensibus, nobis dicendum est. Hinc.

Agendum 1^o de obligationibus iudicum; 2^o advocatorum et procuratorum; 3^o apparitorum; 4^o scribarum et notariorum; 5^o accusatoris et rei; 6^o testium; 7^o medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum; 8^o custodum; 9^o artificum et opificum.

Obligationes vero mercatorum et aliorum huiusmodi hominum satis intelliguntur ex iis, quae de iustitia et contractibus disseruimus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS IUDICUM

951. — Iudex est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta (1), ut secundum leges iustitiam vindicet, et in delinquentes debitas poenas decernat.

Principia. — I. Iudex tenetur ex quasi-contractu cum societate ad munus suum rite adimplendum: quod nisi praestet, reus erit violatae iustitiae tum legalis, tum etiam commutativae.

II. Ut officio suo recte fungi iudex possit, habere debet 1^o intelligentiam officio parem, ut causas intricatas introspicere valeat; 2^o scientiam sufficientem et sagacitatem, ut omnium adiunctorum tum iuris tum facti

(1) Per hoc distinguitur iudex ab arbitro, qui non publica auctoritate, sed spontanea partium contententium electione iudicandi officium assumit.